

cus Augustanus, Theodosius Hergodes Laicus de Gramont Mallinensis, Friderici s. Cæs. rei de Hassia. Carolus Albanus Urbina Laicus, Joannes Cæsius Clericus Abbatia Sublacensis, Nullius Dioecesis, Caroli s. Angeli in foro Piscium Barberini. Jacobus Sorbolongus Forosempronienis, Clericus conjugatus. Salvator Serra Presbyter Ferrariensis, Caroli s. Eustachii Pii. Comes Ranerius de Baschis Clericus Urbevitanus, Antonius Sorreca Presbyter a Monte Georgio Firmanæ Dioecesis, Caroli s. Pancratii Gualterii. Canonicus Stephanus Ricciardus Presbyter Firmanus, Matthæus Passanus Laicus Tiburtinus, Decii s. Adriani Azzolini. Abbas Joannes Senesius Presbyter Perusinus, Felix Orsellius Clericus Foroliviensis, Antonius Gianfettus Laicus Romanus, Odoardi ss. Cosmæ, & Damiani Vecchiarelli. Joan. Vincentius Condivius Presbyter Ripanus, Philippus Capriolus Laicus Romanus, Jacobi s. Mariæ in Aquiro Franconi. Abbas Hilarius Mazzocchi Clericus Romanus, Simon de Amicis Laicus de Camerino, Francisci Mariæ ss. Viti, & Modesti Mancini. Paulus Franciscus Scottus Laicus Narniensis, Hieronymus Benignatus Clericus de Roccacontrada Senogallien. Dioecesis, Angeli s. Georgii ad Velum Aureum Celsi. Petrus Paulus Grappolinus Presbyter Romanus, Paulus Racchellius Laicus Spoletanus, Pauli s. Mariæ de Scala Sabelli Peretti. Abb. Franciscus Butus Presbyter Romanus, Abb. Paulus de Machaut Clericus Parisiensis, Paschalis de Fornier Clericus conjugatus Marticensis, Ludovici de Vandosme. Diaconorum S. R. E. Cardinalium nuncupatorum. Ferdinandus Ximenes e Soc. Jesu, Florentinus, Confessarius. Dominicus Cappellus Presbyter Asculanus, Canonicus Collegiæ Ecclesiæ s. Anastasiæ de prædicta Urbe, cum Reverendissimo D. Phoebeo Archiepiscopo Tarfensi. Fr. Mag. Joannes Baptista Ursius Ord. s. Augustini, cum Reverendissimo D. Sacrista. Valerianus Capriolus Clericus Romanus, cum Secretario Sacri Collegii. Abb. Pompejus Scarlattus Clericus Florent. Custos Fontis, & Aquarum Conclavis. Matthæus Parisius de Benandis Materanensis Dioecesis, Joannes Tiracorda Firman. Medici Physici. Gabriel a Porta de Villafranca Sarzanensis Dioecesis Chirurgus. Joan. Petrus Paulutius Pisaren. Aromatarius. Franciscus Maria Servitius de Monte Baroccio Pisarenensis Dioecesis, Hieronymus Billenus de Verchiano Spoletan. Dioec. ejus Auxiliatores. Dominicus Altimanus de Vignola Mutin. Dioec. Petrus Galoppus Favent. Barbitonfores. Antonius Rosellus Firmanus, Gaspar Mazzantes Fanensis, eorum Auxiliatores. Franciscus Gualdus Faber lignarius. Donatus Corfius Faber Cæmentarius. Joannes Cecchetti de Penna Maceratenis Dioec. Familiaris Magistrorum Cæremoniarum. Antonius Felicetus, Joan. Dominicus Zonus, Franciscus Orlandus, Joseph Colettus, Antonius Comus, Benedi-

ctus Muguanus, Antonius Julius, Carolus Antonius Guinettus, Petrus Zucconus, Salvator Brandolinus, Paulus Antonius Brunus, Joan. Jacobus Giaschettus, Joan. Franciscus Zonus, Dominicus Rubeus, Joseph Bernardini, Antonius Pifeis, Andreas Jo-an. Sanctori, Petrus Brandus, Ioan. Rossettus, Antonius Evangelista, Antonius Cambrunus, Fulvius Girotus, Joan. Maria Catenaccius, Augustinus Gabriellus, Joan. Paulus Guinettus, Scopatores Conclavis.

I V.

Indultum nominandi ad Dignitates Belgii, & Comitatus Burgundiæ Regi Catholico conceditur.

Ex Rescript. in Secr. Brev.

Charissimo in Christo Filio nostro Carolo Hispaniarum Regi Catholico.

CLEMENS PAPA NONUS

Charissime in Christo Fili noster salutem, & Apostolicam Benedictionem.

§. 1. **O**lim postquam fel. rec. Plus Papa IV. Prædecessor noster clar. mem. Philippo II. Hispaniarum Regi Catholico quamdiu ageret in humanis, & in sinceritate fidei, ac unitate S. R. E. nec non obedientia, & devotione suis, ac Successorum suorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium persisteret, ut nullus ad Dignitates Abbatiales aut quorumcumque Monasteriorum etiam per Priores, aut Præpositos regi, & gubernari solitorum regimina infra districtum Ducatum, Marchionatum, & Comitatum, aliorumque dominiorum suorum in partibus Inferioris Germaniæ, seu Belgicæ Ditionis comprehensorum, ac se cum suis Civitatibus, & Appendiciis extendentium quoque tunc possidebat in illis partibus dumtaxat consistentium per eundem Pium Prædecessorem, aut Sedem Apostolicam præfixi, nec illis de quorumvis personis quovis modo provideri posset, absque dicti Philippi Regis intentione, & consensu præcedentibus, de aliis vero Dignitatibus videlicet secularibus, principalibus, & regularibus, non conventualibus infra prædictos districtus, non nisi de locis suæ ditioni subiectis, aut sibi gratis, & acceptis de aliis locis oriundis provideri, concefferat, & indulserat, piæ memoriæ Gregorius XIII. etiam Prædecessor noster multis, maximisque prædicti Philippi Regis erga se, & dictam Sedem meritis adductus concessionem, & Indultum hujusmodi ad Comitatum Burgundiæ Ditionis suæ hæreditariæ extendit, ac ampliavit, & deinde rec. me. Sixtus Papa V. etiam Prædecessor noster exposito sibi pro parte ejusdem Philippi Regis ab aliquibus tunc hæsitari, an Prioratus Conventuales, qui per Priores, aut forsitan Præpositos reguntur, seu gubernantur, & nonnulla Monasteria, ac similes Prioratus intra Septem-

Referentur alie comitales concessiones.

dominiorum prædictorum, & ejusdem Burgundiæ Comitatum, seu sub temporali Dominio aliorum Procerum consentientia, etiam si Prioratus, vel Præposituræ, aut Præpositatus, & non Monasteria nuncuparentur, sub Indulto, ac extensione prædictis comprehenderentur, eandem dubitationem amputando eidem Philippo Regi sua tantum vita durante, Jus nominandi prædicto Sixto Prædecessori, & Romanis Pontificibus pro tempore existentibus tam ad prædictas Dignitates Abbatiales, aut quorumcumque Monasteriorum, etiam per Priores, aut Præpositos regi, & gubernari solitorum regimina, quam etiam ad quoscumque Prioratus, Præposituras, aut Præpositatus Conventum habent., infra districtum eorumdem Ducatum, Marchionatum, & aliorum Dominiorum, & Comitatus Burgundiæ, dummodo infra septem eorumdem Dominiorum, & Comitatus Burgundiæ consisterent, etiam si sub temporali Dominio aliorum Procerum extarent, vel temporalem jurisdictionem haberent, ac etiam si Prioratus, Præposituræ, aut Præpositatus, & non Monasteria nuncuparentur pro tempore vacan. seu vacantia per eundem Sixtum Prædecessorem, & Romanos Pontifices Successores suos ad nominationem hujusmodi conferendos, & conferenda concessit, & indulgit; Et postmodum similis re. Urbanus PP. VIII. etiam Prædecessor noster similem concessionem, & Indultum clarè pariter memoriæ Philippo IV. dum vixit eorumdem Hispaniarum Regi Catholico genitori tuo ad ejus vitam tantum fecit, prout in diversis dictorum Prædecessorum Literis desuper in simili forma Brevi, novissimis quidem dicti Urbani Prædecessoris die 6. Octobris 1640. expeditis, quarum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis haberi volumus uberius continetur.

§. 2. Cum autem pro parte tua Nobis fuerit expositum, Majestatem tuam simili concessione, & Indulto ex nostra, & Sedis Apostolicæ benignitate gaudere posse plurimum exoptasse. Nos tuæ fidei, constantiæ, ac devotionis, quibus erga Nos, & Sedem Apostolicam præfulgere dignosceris, meritis adducti, tuisque supplicationibus hujusmodi inclinati, Tibi tua tantum vita durante, & quamdiu in sinceritate fidei, & unitate S. R. E. necnon obedientia, ac devotione nostris, & Successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium hujusmodi præstiteris, Jus, & facultatem nominandi Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti tam ad prædictas Dignitates Abbatiales, aut quorumcumque Monasteriorum regimina, etiam per Priores, aut Præpositos regi, & gubernari solitorum, quam etiam ad quoscumque Prioratus, Præposituras, aut Præpositatus Conventum habent., infra districtum eorumdem Ducatum, Marchionatum, & aliorum Dominiorum tuorum, prædictorum, ac Comitatus Burgundiæ, dummodo intra septem eorumdem Domi-

Simile Indultum elargitur Pontifici.

niorum, & Comitatus Burgundiæ existant, etiam si sub temporali Dominio aliorum Procerum consistant, vel temporalem Jurisdictionem habeant, ac etiam si Prioratus, Præposituræ, aut Præpositatus, & non Monasteria nuncupentur pro tempore vacantes, seu vacantia per Nos, & Romanos Pontifices Successores nostros ad nominationem tuam infra decem menses a die cujuslibet vacationis faciendam, ac Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti præsentandam conferendos, & conferenda auctoritate Apostolica tenore præsentium de specialis dono gratiæ concedimus, & indulgemus; Ita ut de dictis Dignitatibus Abbatialibus, aut quibuscumque Monasteriis, Prioratibus, Præposituris, Præpositatibus prædictis pro tempore vacan. absque nominatione tua prædicta, de aliis vero sub nominatione hujusmodi non comprehensis, & absque illa libere conferen., Dignitatibus videlicet secularibus principalibus, & regularibus, actu non Conventualibus infra prædictos Districtus consisten. non nisi de locis tuæ Ditioni subiectis, aut tibi gratis, & acceptis personis, per Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices, & Sedem eandem pro tempore disponi, & respective provideri minime possit.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus quibuscumque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac singulorum Prioratum, Præpositurarum, & Præpositatum prædictorum, ac Ordinum, quorum illa sunt, seu a quibus dependent, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & Decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua mentio, seu quavis alia expressio habenda foret, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 2^a Aug. 1667, An. I.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die secunda Augusti 1667. Pontificatus nostri Anno I.

V.

Confirmatio Decreti Card. Pallotti circa validitatem Capituli in Provincia Peruana a Fratibus Ordinis Eremitarum Sancti Augustini celebrati.

CLEMENS PAPA NONUS
Ad futuram rei memoriam.

Alias pro parte dilecti filii Domini de Cifuentes Provinciæ Peruanae Ordinis

Motiva hujus constitutionis

dinis Eremitarum S. Augustini Procuratoris specialis ad petendam confirmationem Capituli ejusdem Provinciae ultimo loco celebrati, necnon Definitoris pro ferendo suffragio nomine ejusdem Provinciae in Capitulo Generali Ordinis hujusmodi tunc proxime celebrando, Congregationi Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita exposito, quod dilectus pariter filius Ignatius de la Cerda Frater expresse professus Ordinis praedicti, praemisit se opponebat coram tunc existente Priore Generali dicti Ordinis, necnon Venerabili Fratre nostro Joanne Baptista Episcopo Tusculano ejusdem S. R. E. Cardinalis Pallotto nuncupato, Ordinis hujusmodi apud Nos, & Sedem Apostolicam, Protectore: Et propterea dictae Congregationi pro parte Domini praedicti supplicato, quatenus praeciperet, & mandaret, ut in hujusmodi causis procederetur ad praescriptum literarum, & decretorum Apostolicorum.

Decretum Saer. Cong. Episcoporum.

§.1. Emanavit ab eadem Congregatione decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita, attentis narratis, Oratoris preces remisit ad Eminentissimum Pallottum Ordinis hujusmodi apud hanc Sanctam Sedem Protectorem, qui supra expositis pro suo arbitrio, & prudentia decernat, quod Juris erit ad praescriptum Apostolicarum, & ejusdem Ordinis Constitutionum. Romae 13. Maii 1667.

M. Card. Ginettus.

Decretum Card. Protectoris.

§.2. Cum autem, sicut nomine dilectorum etiam filiorum Prioris Provincialis, & Definitoris memoratae Provinciae Peruanae Nobis nuper expositum fuit, praedictus Joannes Baptista Definitore, & Protector vigore decreti praefertur subinde partibus auditis, decretum ediderit tenoris sequentis, videlicet: Joannes Baptista Misericordiae Divinae Episcopus Tusculanus S. R. E. Cardinalis Pallottus nuncupatus totius Ordinis Eremitarum S. Augustini auctoritate apostolica Protector, & in Capitulo Generali ejusdem Ordinis Praefes, in causa, seu causis coram Nobis, etiam ex Rescripto Sacrae Congregationis Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium praeposita pendente super validitate electionum Definitoris, & Discreti facta in Definitorio Provinciae Peruanae, necnon super confirmatione, seu annullatione Capituli Provincialis dictae Provinciae, auditis partibus oretenus, & inscriptis reque mature considerata, declaramus dictum Capitulum valide celebratum, & proinde confirmandum esse, prout confirmamus, & nihilominus P. Mag. Ignatium de la Cerda in praedicto Definitorio, ante tempus Capituli Provincialis in Definitorio Capituli Generalis electum, attempta bona fide, & consensu a Patre Lectore Fratre Dominico de Cisuentes, in Defi-

nitorem ejusdem Capituli Generalis in dicto Capitulo Provinciali electo, pro bono pacis sponte praefertur, admittendum esse ad ferendum votum in Capitulo Generali mox celebrando, tanquam Definitorum; Patrem vero Magistrum Gabrielem Aqueva in praedicto Capitulo Provinciali in Discretum ad idem Capitulum Generale electum, in eodem tanquam Discretum ad ferendum votum admittendum esse: Ita decernimus, & mandamus, non solum praedicto, verum etiam omni alio meliori modo. Datum Romae die 26. Maii 1667. J. B. Card. Pallottus Protector, ac Praefes, & Delegatus. Praedicti vero Exponentes decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia apostolica confirmationis nostrae patrocinio communiri summo opere desiderant.

Pontifex confirmat decretum ut infra.

§.3. Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, praefertur memorati Joannis Baptista Episcopi Cardinalis, & Protectoris decretum auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolice firmitatis robor adiciamus ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet interverint, supplemus.

Decretum irritans.

§.4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit, in futurum plenissime suffragari; sicque in praemisitis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolice Auditorum judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrarium.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, & Provinciae hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemisitorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemisitorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 11. Aug. 1667. An. I.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Augusti 1667. Pontificatus nostri Anno I.

Quod

VI.

Quod Alumni Seminarii Pontificii Brunbergae in Prussia ad titulum sufficientis literaturae, & absque suorum Ordinariorum Dimissoriis, ac non servatis Interdictis promoveri possint.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Procurator

§.1. Dilectos filios Alumnos Seminarii Pontificii Brunbergae in Prussia specialibus favoribus, & gratis profecti volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium, dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, ejusdem Seminarii Alumnis a Superioribus eligendis, ut absque literis dimissorialibus suorum Ordinariorum, ac etiam sine titulo Beneficii Ecclesiastici, aut Patrimonii, sed ad titulum tantum sufficientis literaturae a quocumque quem maluerint Catholico Antistite, gratiam, & communionem Apostolicae Sedis habente in propria Dioecesi residente, vel in aliena de Dioecesi loci consensu Pontificalia exercente, ad quatuor minores etiam unico festivo, vel feriato, necnon ad Sacros etiam Presbyteratus Ordines tribus Dominicis, seu aliis festivis etiam continuis, vel interpolatis diebus, extra tempora ad id a jure statuta, & non servatis interdictis a Sacro Concilio Tridentino designatis, annique curriculo non expectato, etiam antequam de uno ad alium Ordinem promoveantur, in primo quoque suscepto se minime exercuerint, aut alicujus Ecclesiae servitio adscripti non sint, dummodo tamen ad id praevio examine reperiantur idonei, necesse aliud Canonicum obiter impedimentum, promoveri, & promoti in illis etiam in Altaris ministerio ministrare libere, & licite possint, & valeant ad septennium proximum tantum, apostolica auctoritate tenore praesentium, licentiam concedimus, & impartimur, necnon Antistiti praedicto ipsos ordines illis conferendi facultatem tribuimus. Praeterea cum ejusdem Seminarii Alumnis, qui alias heretici aut hereticorum filii fuerint, dummodo hereticorum Ministri non fuerint, & Ministrorum filii non sint, ut praevia haeresim, & errorum suorum in scriptis coram Notario, & Testibus abjuracione, quatenus antea non objuraverint, ad eosdem omnes, etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines modo, & forma praedictis promoveri, & ulterius cum eisdem Alumnis forsitan ob non servata interdicta a Sacro Concilio Tridentino designata male promotis, ut in

Concedit Pontifex prout in rubr.

susceptis Ordinibus ministrare, ac ad alios etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines, ut praefertur, promoveri similiter possint, eadem auctoritate gratiose dispensamus.

Derogatio contrarium.

§.2. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 16. Aug. 1667. An. I.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 16. Aug. 1667. Pontificatus nostri Anno I.

VII.

Privilegia, Exemptiones, & Indulta Dapiferis, qui in Conclavi suae Assumptionis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus interservierunt, concessa.

CLEMENS PAPA NONUS

Motu proprio &c.

Causa hujus Indulti.

Nos volentes dilectos filios nostros, dum Cardinalatus honore fungebamur, & Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Dapiferos, qui Conclavi, in quo Divina favente Clementia ad Summi Apostolatus apicem assumpti fuimus, interservierunt, quae ea de causa labores, vigiliis, & incommoda plura subierunt, habita ratione obsequiorum hujusmodi favoribus, gratiis, & privilegiis pro cuiuscumque meritis exornare, ac eosdem Dapiferos, & eorum singulos.

§.1. Motu proprio, non ad ipsorum Dapiferorum, vel alterius pro ipsis Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de mera liberalitate, certa scientia nostris, deque Apostolica potestate plenitudine in veros, indubitatos, & non fictos familiares continuos Commensales nostros, & eos, qui ex illis Clerici existunt, seu militiae Clericali adscribi desiderant, quosque tres ex praefatis Cardinalibus in quolibet ordine antiquiores gradu, Nobilitate, & aliis meritis dignos tali dignitate judicaverint, in nostros, & Apostolicae Sedis Notarios, sine tamen praedictorum filiorum Notariorum de numero participantium, tenore praesentium recipimus, & tam illos, quam alios Dapiferos singulos qui singillatim ab eisdem tribus Cardinalibus digni tali honore approbati fuerint, Sacri Palatii, & Aulae Lateranensis Comites, & Milites, ac tam illos, quam alios omnes quoscumque Dapiferos indistincte, qui Nobiles non sunt, Nobilesque Urbis, vel alicujus alterius ex Civitatibus temporali dominio dictae Romanae Ecclesiae mediate, vel immediate subiectis, Cives esse voluerint, singulos in ea ipsa Civitate, quam singillatim quisque eorum elegerit, & ad quam ab eisdem Cardinalibus se admitti petierit, veros Cives ad instar, & nullatenus

Jos Civitatis
in eorum ha-
redes trans-
fert.

Comites, &
Milites cccat.

proutus differentia inter eos, & singulos alios veros Originarios, & antiquissimos, & nobiles participantes Cives ipsius Urbis, vel Civitatis.

§.2. Itaut ipsum jus Civitatis ad quoscumque eorum heredes eodem modo transeat, creamus, constituimus, & deputamus, ac Nobilitatis, & Civilitatis titulo, honore, & insignibus decoramus, aliorumque Familiarum continuorum, Commensalium Nobis actu in Palatio nostro Apostolico servientium, & in illius Tinello comedentium, & bibentium nostrorum, & Sedis Apostolicæ Notariorum Palatii, & Aula præfate Comitum, Militum, & Nobilium, & Civium hujusmodi Originariorum numero, & consortio favorabiliter aggregamus, & pro veris, indubitatis, & non fictis Familiaribus continuis commensalibus, ac Notariis nostris, Comitibusque, Militibus, Nobilibusque, ac Civibus deinceps haberi, & reputari volumus, & mandamus, eisque in quibuscumque impetrationibus, ac concessionibus, & literis, tam gratiam, quam justitiam separatim, seu utramque mixtim, concernentibus, se Familiares, continuos commensales nostros, & Comites, Milites, Nobiles, ac Cives, & originarios nominare, nec propterea impetrationes, concessionis, & literæ ipse subreptionis vitio subiaceant, sed validæ, & efficaces existant, ac ex nunc deinceps, & in perpetuum omnibus, & quibuscumque, & prorsus similibus antelationibus antelationum, prærogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, decretis, declarationibus, derogationibus, mandatis, suspensionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, indultis, ac iuribus, quibus alii nostri Familiares tempore dictæ assumptionis nostræ ad Summi Apostolatus apicem, ac quibus alii ejusdem Sedis Notarii, etiam de numero participantium existentes, etiamsi habitum, & Rocchetum Notariorum ipsius Sedis non deferant Palatii, & Aula prædictæ Comites, & Milites, ac Nobiles originarii, & antiquissimi Cives ejusdem Urbis, vel Civitatis, quam, ut præfertur, elegerint quicumque ex utroque Parente vere Nobili, ac Cive Civili, & originario antiquissimo procreari de jure, statuto, consuetudine, vel alias ex aliquo speciali Privilegio, seu alias etiam per quascumque literas, seu Constitutiones Apostol. pro tempore editas utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, ubique locorum in judicio, & extra, sine tamen eorundem Notariorum de numero participantium præjudicio, uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite valeant realiter, & integre in omnibus, & per omnia, etiam si in Urbe, & Civitate hujusmodi non habitaverint, perinde ac si de vero nobili genere ex utroque Parente originario, & antiquissimo Cive procreati forent, & hujusmodi prærogativæ, privilegia, exemptionio-

nes, gratiæ, favores, concessionis, Indultæ, & jura, quæ pro aliis Nobilibus, & Civibus originariis emanarunt, & quæ ratione Nobilitatis, & Civilitatis naturalis, & originariæ aliis competunt pro eisdem Dapiferis in specie emanassent, seu emanarent & eisdem naturaliter de jure, statuto, consuetudine, fundatione, vel alias competere, vigore præsentium indulgemus.

§.3. Ac singulos Dapiferos præfatos a solutione, & exactione Decimarum Ecclesiasticarum ubique locorum, & ex quacumque, quantumvis urgentissima, & inexcogitabili causa, & occasione, etiam ad instantiam Imperatoris, Regum, Reumpublicarum, etiam Venetorum, & quorumcumque aliorum Principum impostarum, & imponendarum pro tempore liberamus, & eximimus, liberosque, & exemptos fore, & esse decernimus, ipsi Dapiferis, eorumque singulis quoscumque fructus, & proventus Ecclesiasticos, tam occasione Pensionum annuarum ipsi, vel eorum alicui reservatarum, quam ratione omissionis recitationis horarum canonicarum indebite perceptos, cujuscumque quantitatis fuerint, gratiose remittimus, & condonamus, ac cum eis super inhabilitate per eos propterea quomodolibet contracta, vel etiam ex eo, quod censuris hujusmodi ligati Missas, & alia Divina officia, non tamen in contemptum Clavium, celebraverint, aut alias in Divinis se immiscuerint, ut illa, & eisdem præmissis non obstantibus, ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus ordines, alias tamen rite promoveri, & in illis etiam suscipi alias rite per eos Ordinibus etiam in Altaris Ministerio ministrare etiam libere, & licite valeant, dispensamus.

§.4. Ac eosdem Dapiferos, si qui eorum defectum Natalium patiuntur ex quocumque damnato, & illicito coitu, etiam si ex nobilissimis Parentibus, ac viribus formis forsitan procreati sint, etiam si legitime alias existant, legitimamus, omnemque ab illis genituræ hujusmodi maculam, sive notam abstergemus, & abolemus, ac legitimis Natalibus restituimus, ac cum eorum singulis, ut in quibuscumque bonis paternis, & maternis, & aliorum consanguineorum, seu cognatorum, vel aliorum quorumcumque, non tamen feudaliibus, & emphyteuticis, aut ecclesiasticis, vel ab Ecclesia acquisitis, ac sine præjudicio venientium ab intestato, vel ex fideicommissio, seu alias de jure valida dispositione succedere, & illa donationis, seu alio quovis titulo consequi, & habere, ac ad æquales portiones cum legitimis succedere, eos ad omnia jura legitima, & successiones ex testamento, vel ab intestato, hereditates, legata, libertates restituendo, & reintegrando realiter, & cum effectu.

§.5. Necnon ad dignitates, honores, & quacumque alia officia secularia, publica, vel privata, etiam assumi, illaque genere & exercere in omnibus, & per omnia ac si de legitimo matrimonio procreati forent, ac eodem defectu non obstante, si aliud

A Gabellis
aliquo oneri-
bus liberat.

Illegitimos
legitimos na-
talis resti-
tuimus.

Ad dignitates
& officia ad-
mittit.

aliud

A pensionibus
dispensat.

aliud canonicum eis non obstat impedimentum, ac clericali charactere, qui illonondum insigniti sunt, insigniri, & ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus ordines si ad illos nondum promoti sunt, promoveri, & postmodum charactere, & Ordinibus hujusmodi, illorumque Privilegiis uti, ac in eisdem ordinibus etiam in Altaris ministerio ministrare, ac quæcumque, & qualiacumque cum cura, & sine cura beneficia ecclesiastica, etiam si personatus, administrationes, & officia etiam curata, & electiva in Cathedralibus, & Metropolitanis, vel Collegiatis Ecclesiis, seu si Parochiales Ecclesiæ, vel earum perpetuæ Vicariæ, ac Canonicatus, & Præbendæ, non tamen in Cathedralibus, ac dignitates, non tamen in eisdem Cathedralibus, post Pontificalem majores, nec principales in Collegiatis Ecclesiis hujusmodi fuerint, si sibi alias canonicæ conferantur, aut ipsi eligantur, præsententur, vel alias assumantur ad illa, & instituantur in illis recipere, & dummodo plura simul non sint, quam quæ a Concilio Tridentino permittuntur, quoad vixerint, retinere libere, & licite valeant similiter dispensamus.

§.6. Quodque omnes, & quæcumque gratiæ, provisiones, Commendæ, ac præfentes, & quævis alie Literæ Apostolicæ, ac etiam in forma Brevis pro illis expediendæ gratis ubique expendantur, tam de capiendâ possessione nomine Camera Apostolicæ, quam in favorem Literarum Apostolicarum, ubi illis super provisionibus quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum dari poterunt, prout nostris Familiaribus, & continuis Commensalibus etiam gratis dantur, ac conceduntur, ac dari, & concedi debent, præcipimus, & mandamus, ac Dapiferis præfatis, & eorum singulis, ut ubicumque loci Ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum, aut aliarum Ecclesiarum, aut personæ quæcumque Ecclesiastica in dignitate ecclesiastica constituta, tam in Romana Curia, quam extraeam ad id per eos, & eorum singulos eligendi, seu eligendæ, quascumque Pensiones annuas eis, eorumque singulis super fructibus, redditibus, proventus, iuribus, obventionibus, & emolumentis universis, certis, & incertis, ac distributionibus quotidianis quarumcumque mensurarum Episcop., Archiep. & Abbatialium, ac Dignitatum, & Canonicatum, & Præbendarum, cæterorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum etiam per S. R. E. Cardinales obtentorum, & impostorum obtinentorum, cum cura, & sine cura, Sæcularium, aut quorumvis Ordinum Regularium, seu fructus, redditus, & proventus, aliaque emolumenta, & distributiones hujusmodi reservatas, seu reservatos, ac reservandas, seu reservandos, etiam si alias semel, vel pluries translata, seu translata fuerint, usque ad summam centum ducatorum in toto, vel in parte, ac etiam in mortis articulo cassare, & extingueri, ac postquam cassata, & extincta fuerint, alias similes pensiones an-

Bull. Rom. Tom. VI. Par. VI.

nuas, seu fructus, redditus, & proventus, & alia emolumenta, & distributiones hujusmodi usque ad summam prædictam, uni, vel pluribus aliis personis ecclesiasticis per eisdem Dapiferos, & eorum singulos, nominandis, quotcumque, quæcumque, & qualiacumque Beneficia Ecclesiastica obtinentibus, & expectantibus, alias tamen pensionum hujusmodi capacibus, similiter eis quoad vixerint, vel eorum Procuratoribus legitimis eisdem modo, & forma, quibus eisdem Dapiferis reservata, seu reservanda fuerint, etiam absque beneficia hujusmodi obtinentium consensu, integre persolvendas, seu persolvendos, & per eos percipiendas, exigendas, levandas, ac percipiendos, exigendos, levandos reservare, constituere, & assignare valeant, ipsique Translati in possessionem dictas Pensiones exigendi, in qua ipsi Dapiferi tempore translationis per eos vigore præsentium faciendæ existebant, in omnibus, & per omnia subrogati esse censentur, etiam concedimus, & indulgemus, & etiam si similem gratiam a Prædecessoribus nostris alias forsitan obtinuerint, seu quilibet eorum obtinuerit, illius effectu cumulative eos gaudere, & potiri volumus.

§.7. Decernentes ipsas translationes, & novas reservationes, constitutiones, & assignationes Pensionum, seu fructuum, reddituum, & proventuum, aliorumque hujusmodi plenam roboris firmitatem obtinere, ipsosque Beneficia super quorum fructibus, redditibus, & proventus reservata fuerint, obtinentes, ad illas persolvendas efficaciter obligatos fore, ac eisdem Dapiferis, ut ratione quarumcumque Pensionum eis, & eorum cuilibet super quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis, ut præfertur, vel alias quomodolibet qualificatis, non tamen ultra summam ducentorum ducatorum auri de Camera pro quolibet, tunc, & pro tempore reservatarum, ac reservandarum, habitum, & tonsuram clericales gestare, & in illis, dummodo ipsi habitum decentem, & honestum deferant, incedere minime debeant, nec ad id a quocumque cogi, seu compelli, minusque aliquas sententias, aut censuras, etiam privationis, seu cassationis ipsarum Pensionum ad prædictam summam ducentorum ducatorum ascendentes, & reservatas, ut præfertur, etiam si matrimonium contraxerint cum unica tantum, & virgine, recipere, & retinere.

§.8. Postremo quod bona quæcumque ad dictos Dapiferos, & eorum quemlibet spectantia, & per eos etiam ratione quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, etiam Canonicatum, & Præbendarum, ac dignitatum quarumcumque per eos alias obtentorum, & obtinentorum, aut alias quomodolibet, & quovis quæsito colore, vel ingenio, seu eorum industria, legitime tamen, & licite acquisita, & acquirenda, etiam in Urbe, ejusque districtu, ac ubicumque existentia, spoliis minime subiaceant: sed ipsi Dapiferi, etiam si Reli-

Translationes
pensionum con-
cedit prout in
Constitut.

Ad restan-
dum habitat

Z

gioni

gioni alicujus Militie, etiam S. Joannis Hierosolymitanus adscripti fuerint, de illis in favorem quarumcumque Personarum, de jure tamen capacium, etiam si Curiales esse desierint, & in quocumque loco, quantumvis remoto, eos decedere contigerit, testari, & alias disponere, eisque ab intestato decedentibus eorum heredes quicumque succedere libere, & licite valeant, simili modo concedimus, & indulgemus.

A molestis hac de causis incertis hinc adis liberat.

§.9. Præcipientes, & mandantes dilectis filiis nunc, & pro tempore existentibus S.R.E. Camerario, Thesaurario, Præfidentibus, Clericis Camerae nostræ Apostolicæ, & quibuscumque aliis spoliatorum hujusmodi Collectoribus, & Militiarum præfatarum Officialibus, aut Procuratoribus, ne in hujusmodi bonis manus apponant, neque heredes dictorum Dapiferorum desuper molestare audeant, seu præsumant, ac etiam decernentes donationes, etiam per viam Testamenti, & Codicillorum per ipsos Dapiferos de eorum bonis hujusmodi, servatis de jure servandis, faciendas semper, & perpetuo validas, & efficaces fore, nec eosdem Dapiferos, eorumque aliquem ad literas super præsentibus conficiendas in dicta Camera insinuandum, aut admitti, & registrarum petendum teneri, nec illas, etiam si intra tempus legitimum insinuatæ, admittæ, seu registratæ non fuerint, propterea minus validas censerem, eademque præsentibus, & in eis contenta quæcumque sub quibusvis revocationibus, limitationibus, suspensionibus, modificationibus, decretis, Constitutionibus Apostolicis similibus gratiarum revocatorum, vel quæ eas limitarent, aut moderarent, quæ a Nobis, & dicta Sede pro tempore, & de quibusvis causis, etiam urgentissimis, etiam in Divini cultus augmentum, etiam consistorialiter, vel alias quavis auctoritate hætenus, vel imposterum emanaverint, minime comprehendere, sed quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum repositas, & reintegratas esse, & censerem. Sicque per quoscumque Judices, etiam Commissarios quavis auctoritate fungentes in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definituri debere, irritum quoque, & inane, si fecus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Expeditione gratiosam m. dat.

§.10. Et insuper dilectis filiis Rescribentibus, & Computatori Collegii Scriptorum Literarum Apostolicarum, & aliis, ad quos earundem literarum expeditio spectat, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub poena indignationis nostræ motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus mandamus, ut easdem præsentibus, & forsan alias literas super præmissis omnibus, tam conjunctim, quam divisim, ac pro singulis quibuscumque derogationibus, decretis, & clausulis in eis contentis, gratis de mandato nostro ubiq; in omnibus Officialibus etiam

Abbreviatorum, Solicitatorum, Secretariorum Plumbi, & Registri, absque aliqua pecuniarum exactione, etiam per viam compositionis faciendas, omni contradictione, & dilacione cessantibus, signent, expédiant, & expédiri faciant.

Contrariis derogat.

§.11. Non obstantibus eisdem præmissis ac de certo Notariorum numero, etiam si ad illum non sit devenum, quibus alias per præsentibus non intendimus derogare, ac regula nostra de præstando consensu in Pensionibus, ac fel. rec. Pii Papæ IV. Prædecessoris nostri, de similibus, vel dissimilibus gratiis in Camera Apostolica infra tres menses præsentandis, & registrandis, ac rec. mem. Pii Papæ V. etiam Prædecessoris nostri contra illegitimos, ac Pistavienfis Concilii, & aliis Apostolicis, ac etiam in universalibus, provincialibusque Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, & Monasteriorum, Ecclesiarum, Ordinum, etiam S. Joannis Hierosolymitani, ac etiam Urbis Romæ, & aliarum Civitatum, Oppidorum, & Terrarum, ac Camera prædictæ, ac quarumvis Universitatum, etiam juramento vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stabilimentis, usibus, & naturis, decretis, ac etiam novis reformationibus, ac etiam legibus, tam Pontificiis, quam Imperialibus, Regiis, & Ducalibus, etiam Sacris Canonibus: Privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis Superioribus, ac personis, & locis quibuscumque in genere, vel in specie sub quibusvis tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriis derogatorum, aliiisque efficacioribus, & efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibus, & aliis decretis, etiam vim contractus, & statuti perpetui continentibus, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac etiam Consistorialiter, ac alias forsan in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis, inter alia disponentibus, quod beneficia Urbis non nisi personis certis modo, & forma qualificatis, & oriundis ex certis locis, ac trium Ordinum Militiarum expresse professis conferri, & commendari soleant, quibus omnibus, etiam si alias pro eorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quævis alia expressio habenda foret, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse harum serie motu pari derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Fiat motu proprio I.

Et cum absolute a censuris ad effectum, & c., & in casibus regulæ de inford-

descendentibus, eum opportuna illius, necnon alterius regulæ de non tollendo jure, quæsto, aliisque necessariis, & opportunis derogationibus, quatenus opus sit, & quod indultorum, concessorum, gratiarum, derogationum, aliorumque præmissorum omnium, & singulorum major, & verior specificatio, & expositio fieri possit in literis, in quibus singulorum Dapiferorum nomina, & cognomina, ordines, qualitates, gradus, Dioceses, Patriæ, & alia requiritæ exprimi, & describi, seu pro expressis, & descriptis haberi possint, juxta notulam per ipsos, seu eorum Deputatos confectam simul, vel ad partem, etiam in una, non facta mentione de illa, vel aliis, prout videbitur expedire, expediendarum, & c.

Transumptum hinc

§.12. Volumus autem, quod literarum super præsentibus conficiendarum transumptis, etiam impressis, & sigillo, ac manu alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, & subscriptis eadem fides, tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ originalibus literis adhibetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§.13. Volumus autem, quod sola præsentis motus proprii nostri Signatura sufficiat, & ubique fidem faciat in judicio, & extra illud, regula quacumque contraria, non obstante.

FIAT I.

Dat. die 19. Aug. 1667. An.I.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem quartodecimo Kal. Septembris Anno I.

Nomina autem ipsorum Dapiferorum sunt hæc, quæ sequuntur.

Paulus Strada Romanus Clericus Conjugatus, noster dum Cardinalatus honore fungebamur. Gentilius Fidelis Clericus Camerinenfis, Franciscus Otthienfis Barberini. Joannes Gamba I. V. D. Sacerdos Ravennatenfis, Martii Portuensis Ginetti. Abbas Carolus Vainus Commendatarius Sanctorum Mauriti, & Lazari Romanus, Antonii Præfati Barberini: Joannes Baptista Vannius Clericus de Caldarola, Joannis Baptista Tufculani Palotti. Baldus Corradus Clericus Maceratenfis, Franciscus Maria Sabinenfis Brancatii. Canonicus Guido Muccioli Sacerdos de Burgo Pacis Urbanienfis, Ulderici Albanenfis Carpinei. Antonius Talentius Canonicus Romanus, Ernesti Adalberti S. Prædixis Harrach. Franciscus Botius Sacerdos, & Canonicus Genuenfis, Stephani S. Laurentii in Lucina Duratii. Joseph Lampanus Clericus I. V. D. a Monte Flascione, Julii S. Priscæ Gabriellii. Paulus Nicola Vinerius Laicus Recanatenfis, Virginii S. Mariæ Angelorum Ursini. Casar Sega Clericus Bononiensis, Casaris Sanctorum quatuor Coronatorum Facchenetti. Alexander Libicinius Clericus, & Prior S. Siffolini Diocesis Lixmo, Hieronymi Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio Grimaldi. Comes Jo-

Bull. Rom. Tom. VI. Par. VI.

nes Baptista Laverchius Laicus Faenfis, & Eques S. Stephani, Caroli S. Stephani in Capite Rossetti. Antonius Maria Petronius I. V. D. Sacerdos a Monte Reale Diocesis Reatinæ, Nicolai S. Mariæ Transiberim Ludovicii. Joannes Baptista Tamphanus Sacerdos Forolempnonenfis, Alderani Sanctæ Pudentianæ Cybo. Hieronymus Lancettus Clericus Cefenatenfis, Federici Sancti Petri ad Vincula Sfortia. Felix Bonafides Clericus Firmanus, Benedicti S. Hunuphrii Odescalchi. Joannes Baptista Pellegrinus Clericus Mediolanenfis, Laurentii Sanctorum Quirici, & Julitæ Raggi. Joannes Rennis Ambianenfis Dioc. Laicus, Francisci Pauli S. Mariæ super Minervam de Retz. Carolus Vismara Laicus Mediolanenfis, Aloyisii S. Alexii Homodei. Benedictus Mazzinus Clericus Romanus, Petri S. Marci Othoboni. Fulvius Augustinus Venetianellus Clericus I. V. D. Urbinatenfis, Laurentii S. Chrysogomi Imperialis. Angelus Clanellonus Laicus Reatinus, Gilberti Sanctorum Joannis, & Pauli Borromei. Julius Gualcus Clericus Romanus, Marcelli S. Stephani in Monte Cælio Sanctacrucii: Joannes Baptista Buccata Clericus Bergomenfis, Joannis Baptiste S. Marcelli Spadæ. Angelus Vignatus Laicus Lodogianus, Francisci S. Mariæ in Via Albicci. Franciscus Horatius Speculus Clericus Romanus, Octavii S. Cæcilie de Aquaviva: Antonius Theodosius Senenfis Clericus, Flavii S. Mariæ de Populo Chiffii. Thomas Claudius Clericus Conjugatus Pergulensis, Scipionis S. Sabine Delcii. Franciscus Salundocius Clericus Florentinus, Hieronymi S. Agnetis extra mœnia Farnesii. Michael Bizzottus Sacerdos Canonicus Eccl. Collegiæ SS. Paulini, & Donati Lucenfis, Hieronymi S. Hieronymi Illiricorum Bonvisii. Hieronymus Piccolomineus Clericus Senenfis, Antonii Sancti Augustini Bichii. Dominicus Venantius Clericus Nepenfis, Petri S. Calixti Vidoni. Hieronymus de Dominicis Sacerdos Belfortis Camerinenfis Diocesis, Gregorii S. Thomæ in Parione Barbarici. Franciscus Antonius Scarincius Clericus Romanus, Hieronymi SS. Marcellini, & Petri Boncompagni. Hieronymus Muccioli Clericus Pifarenfis, Alphonfi S. Crucis in Hierusalem Littæ. Joseph Fiduccius Clericus de Monte Pulciano, Nerii Sanctorum Nerei, & Achillei Corsini. Philippus Argentus Laicus a Civitate Vetere, Caroli Sancti Anastasii Bonelli. Ludovicus Gabutius Sacerdos Firmanus, Cæli S. Petri in Monte Aureo Piccolominei. Joannes Antonius Fiducius Clericus Conjugatus de Monte Pulciano, Caroli S. Suffannæ Carate. Dominicus Minutius Sacerdos a Montealbotto Senogallienfis Diocesis, Palatii Sanctorum duodecim Apostolorum Albertonii. Petrus Franciscus Jandinus Sacerdos Forolivienfis, Casaris S. Joannis ante Portam Latinam Rasponi. Lelius Bertonus Clericus Rolanus, Nicolai S. Mariæ Transpontinæ de Comitibus. Comes Fabritius

tius Torglionus Clericus Anconitanus, Jacobi S. Mariæ de Pace Nini: Petrus Valtronius Monfavianensis I. V. D. Clericus Diœces. Aretinæ in Etruria, Caroli Roberti Victorii. Julius Putius Sacerdos a Spetia Diœcesis Sarlanensis. Julii Spinula. Abbas Didacus Tabastus Diœces. Sulmonen., Innici S. Clementis Caraccioli. Thomas Berterra Clericus a Saxoferrato, Joannis Delphinii. Julius Florinus Regiensis Conjugatus, Rinaldi S. Nicolai in Carcere Tulliano Effenfis Camillus Cerronius Canonicus Cathedralis Ferrariensis, Joannis Stephani S. Agathæ Donghii. Adrianus Corromanus Clericus Conjugatus Perusinus, Pauli Emilii S. Mariæ in Cosmedin Rondinini. Marcus Mellinus Romanus Clericus Conjugatus Francisci S. Mariæ in Vialata Maidalchini. Joseph Danzaert de Beveren., Clericus Flandrensis. Frederici S. Casarei de Haslia. Antonius Comes Clericus Camerinenfis, Caroli S. Angeli in foro Piscium Barberini. Petrus Carolus Capelletus Clericus Conjugatus Reatinus, Caroli S. Eustachii Pii. Franciscus Gentilius Clericus Lauretanæ Diœcesis Caroli Sancti Eustachii Gualterii. Antonius Favonius Canonicus Cathedralis S. Severini, Decii S. Adriani Azzolini. Hieronymus Valentinus Sacerdos Hortensis, Odoardi SS. Cosmæ, & Damiani Vecchiarelli. Dominicus Ranconius Laicus Ferrariensis, Jacobi Sanctæ Mariæ in Aquiro Franconi. Gasparus Plantanidus Clericus Romanus, Francisci Mariæ SS. Viti, & Modesti Mancini. Joannes Hieronymus Rosolinus I. V. D. Romconus, Angeli S. Georgii ad velum aureum Celsi. Anibal Benignus Clericus Camerinenfis, Pauli S. Mariæ de Scala Sabelli Peretti. Pascasius de Forneriis Gallus Marficensis Clericus conjugatus, Ludovici de Vandosme Diaconorum S. R. E. nuncupat.

VIII.

Facultas Duci Bavarie tradendi octo ex decem Monasteriis Palatinatus Superioris dudum per hereticos occupatos, Religiosis eorum respective Ordinum, & reliqua duo Monasteria, quæ erant Monialium, in erectionem novi Monasterii Monialium in Oppido Bambergæ faciendum.

Dilecte filio nobili Viro Ferdinando Maria Bavarie Duci S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS PAPA NONUS

Dilecti filii nobilis Vir salutem, & apostolicam benedictionem.

Exordium.

Sacrofancti Apostolatus Ministerium humilitati nostræ, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, ab Eterno Pastore creditum exigit, ut circa ea, per quæ Ecclesiæ decori, & utilitati, Catholicæque fidei propagationi, & Religionis incremento

consulatur propensis studiis intendentes, datæ Nobis a Domino potestatis partes desuper interponamus, sicut pia Catholicorum Principum aviræ Religionis tuendæ, & propagandæ zelo eximie conspicuorum vota postulant, & Nos matura, prudentique deliberatione prævia, ad Omnipotentis Dei gloriam, & animarum salutem, ac Ecclesiarum ære alieno oppressarum levamen, piorumque operum profectionem cognoscimus in Domino salubriter expedire.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecisti, quod cum Monasteria de Reichenbach, de Ensdorff, de Weissenhoe, & de Michelselt virorum Ordinis S. Benedicti, ac de Walderbach, & de Walfassen etiam virorum, & de Selingenpon, Mulierum Ordinis Cisterciens., necnon de Schontal, sive Vallis Speciosæ virorum Ordinis Eremitarum S. Augustini, ac de Speisart, etiam virorum Ordinis Præmonstraten., & de Gnaderberg nuncupata Monialium Ordinis S. Brigittæ Ratisbonen., & Eistetten. Diœcesum respective in Palatinatu Superiori existentia cum omnibus eorum bonis, pertinentiis, & juribus, dudum ab hæreticis occupata, & tandiu detenta fuerint, donec a cl. mem. Ferdinando II. dum vixit Romanorum Rege Illustri in Imperatorem electo opera, præcipue ope, consiliis, & fortitudine bellica bon. mem. Maximilianum dum vixit Bavarie Ducis Sacri Romani Imperii Principis Electoris genitoris tui ab illorum manibus vindicata & recuperata fuerunt; Tu ad Catholicam Religionem in dicto Palatinatu, qui a memorato Ferdinando Rege eidem Maximiliano Duci cessus, & traditus fuit, & in, cujus tu possessione uti ipsius Maximilianus Duci hæres, & Successor existis, stabiendam atque augendam plurimum conferre posse existimas, si eadem Monasteria, eorumque bona, videlicet de Reichenbach, cujus bonorum, seu reddituum certa portio dilectis filiis Fratribus Conventus, qui est in Civitate Neoburgi Ordinis Fratrum Sancti Francisci de Paula minimorum nuncupatorum assignata reperitur, ac de Ensdorff de Weissenhoe, & de Michelselt dicto Ordini S. Benedicti, ejusque Monachis ejusdem Provinciae, in qua ea sita sunt, ac de Walderbach, & Walfassen. Ordini Cisterciens. ejusque Abbati Generali, & Monachis, necnon de Schontal, seu Vallis Speciosæ Ordini Eremitarum S. Augustini, ejusque Fratribus, ac de Speisart Ordini Præmonstraten., ejusque Canonicis Regularibus, de Selingenpon vero Monialium Cisterciens., & de Gnaderbergh Monialium Sanctæ Brigittæ Ordinum hujusmodi Monasteria in erectionem unius novi Monasterii pariter Monialium illius Ordinis, qui magis placuerit in Oppido Civitate nuncupato Ambergæ ejusdem Palatinatus Superioris, in quo alia Monialium Monasteria non reperiuntur, respective tradantur, tribuantur, & assignentur, prout tradi, tribui, & assignari summopere desideras, nullo tamen tibi desuper adquisito,

Postulatio.

sito, vel reservato Jurepatronatus, aut alio quocumque jure, itaut in Ordines prædictos, eorumque personas respective, quarum opera, vita, & exemplo Fides Catholica in illis partibus benedicente Domino stabiliri, propagarique possit, libere transeant.

Concedit Pontifex prout in Constitut.

§.2. Quare Nobis humiliter supplicari fecisti, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur piis, religiosisque nobilitatis tuæ votis hujusmodi favorabiliter quantum cum Domino possumus annuere, specialemque tibi, de cujus pietate, ac in Nos, & hanc Sanctam Sedem devotione plurimum in Domino confidimus, gratiam facere volentes teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentium dumtaxat consequens, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Congregationis a Nobis super hoc negotio specialiter deputatæ consilio, Tibi tenore præsentium benigne indulgemus, ut nostra, & dicte Sedis Apostolicæ, ad quam bonorum prædictorum dispositio pertinere dignoscitur, auctoritate prædicta de Reichenbach, de Ensdorff, de Weissenhoe, & de Michelselt memorato Ordini S. Benedicti, ejusque Monachis ejusdem Provinciae, in qua sita sunt, de Walderbach vero, & de Walfassen Ordini Cisterciens. ejusque Abbati Generali, & Monachis, de Schontal autem, sive Vallis Speciosæ Ordini Eremitarum Sancti Augustini, ejusque Fratribus, ac de Speisart Ordini Præmonstraten., ejusque Abbati Generali, & Canonicis Regularibus, necnon de Selingenpon, & de Gnaderbergh Monialium Monasterii hujusmodi in erectionem novi Monialium Monasterii in dicto Oppido Ambergæ, ut præfertur, faciendam respective cum omnibus, & singulis ipsorum respective Monasteriorum bonis, pertinentiis, membris, redditibus, & juribus universis sicut præmittitur perpetuo tradere, tribuere, & assignare cum interventu tamen, & assensu dilecti filii nostri, & Sedis prædictæ Nuncii apud charissimum in Christo Filium nostrum Leopoldum eorumdem Romanorum Regem Illustrum in Imperatorem Electum pro tempore residentis, vel alterius Ecclesiasticæ personæ ab eodem Nuncio deputandæ possis, & valeas, nullo tamen tibi desuper adquisito, aut reservato jurepatronatus, aut alio quocumque jure, & salva remanente supradicto Conventui Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci de Paula pro eorum alimentis portione bonorum, seu reddituum dicti Monasterii de Reichenbach penes ipsos existente, quam portionem eisdem Fratribus concedimus, & ab eis retineri volumus, donec de æquivalenti annuo reddito, & æque opportuno provivum illis fuerit. Volentes insuper, &

auctoritate Apostolica decernentes Ven. Fratrem Marquardum Episcopum Eistetten ad effectum instituendi juxta Decreta Concilii Tridentini, Seminarium Ecclesiasticum in sua Civitate, seu Diœcesi Eistetten, & non ad alios usus accipere per triennium a data præsentium literarum computan. de manu illius, penes quem erit administratio supradictorum duorum Monasteriorum. Monialium de Selingenpon, & de Gnaderbergh omnes fructus ex eorumdem duorum Monasteriorum bonis provenientes; Dilectum vero filium nostrum Guidobaldum S. R. E. Cardinalem de Thun nuncupatum Ecclesiæ Ratisbonen., ex concessione, & dispensatione Apostolica Præsulem accipere pariter per triennium de manu prædictorum Monachorum, ac Canonicorum Regularium, & Fratrum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini respective dimidiam partem annuorum fructuum ex aliorum primordiorum octo Monasteriorum virorum bonis proventurorum ut in extinctionem debitorum ejusdem Ecclesiæ Ratisbonen. cum interventu, & consensu dilectorum filiorum Capituli, & Canonicorum ipsius Ecclesiæ, & non in alios usus convertantur, idque sive effectum habuerit sive non habuerit aliud Indultum percipiendi per triennium omnes fructus omnium decem Monasteriorum prædictorum bon. mem. Episcopis Ratisbonen. de defunctis a fel. rec. Alexandro Papa VII. Prædecessore nostro concessum. Nos enim tibi premissa omnia modo, & forma prædictis peragendi, & exequen., necnon memorato Nuncio novum Monasterium Monialium, ejus cui magis placuerit Ordinis in prædicto Oppido Ambergæ ad Omnipotentis Dei Gloriam, & animarum salutem, ac Religionis incrementum, auctoritate nostra Apostolica, perpetuo erigendi, & instituendi, ac prædicta duo Monialium Monasteria de Selingenpon, & de Gnaderbergh eorumque titulos, denominationes, statum, & essentiam regulares penitus, & omnino itidem perpetuo supprimendi, & extinguendi, ipsorumque Monasteriorum sic suppressorum, & extinctorum bona, proprietates, redditus, proventus, obventiones, jura, & emolumenta universa eidem novo Monasterio pro illius dote, ejusque Monialium sustentatione, ac onerum eis pro tempore incumbentium supportatione itaut liceat ipsis Monialibus novi Monasterii hujusmodi suo, & ejusdem Monasterii nomine illorum omnium corporalem, realem, & actualem possessionem, seu quasi possessionem per se, vel alium, seu alios apprehendere, & apprehensam, perpetuo retinere, fructus quoque redditus, proventus, & emolumenta quæcumque ex eis proventura, postquam tamen triennium ad quod eosdem fructus a memorato Marquardo Episcopo accipi volumus, ut præfertur, elapsum fuerit, percipere, exigere, levare, ac in suos communes, & dicti Monasterii usus, necessitates, & utilitatem convertere, Diœcesani loci, seu cujusvis al terius